

NÚMERO III.

Para que el lector pueda formar cabal idea de la disciplina penitenciaría de la Iglesia en los primeros siglos, y comprender mejor las indicaciones de Alzog sobre este punto, creemos prudente insertar á continuación los *Cánones* conocidos con el nombre de *penitenciales*. Son estos las reglas que fijaban el rigor y la duración de la penitencia que debían hacer los pecadores públicos que deseaban reconciliarse con la Iglesia y ser admitidos á la comunión.—En el día nos admiramos de la severidad de estos cánones, que fueron hechos en el siglo IV; mas se debe tener presente que la Iglesia se vió obligada á formarlos: 1.º para reducir al silencio á los Novacianos y Montanistas, que la acusaban de usar de una indulgencia excesiva con los pecadores, y fomentar de este modo los desórdenes; 2.º porque los extravíos de un cristiano podían entonces escandalizar á los Paganos y retraerlos de abrazar el Cristianismo, lo cual se consideraba una especie de apostasía, y 3.º porque las persecuciones por que acababan de pasar habían acostumbrado á los Cristianos á una vida dura y una pureza de costumbres que interesaba mucho conservar.—Por lo demás, debe tenerse presente que estos cánones no se observaron con todo rigor mas que en la Iglesia griega. Á pesar de esto es muy importante conservar su memoria, tanto para fortalecer á los confesores contra los excesos de la relajación, como para refutar las calumnias que se han permitido los incrédulos contra las costumbres de los primeros Cristianos.—Hélos, pues, aquí tales como se hallan en el *Corpus juris canonici*.

CANONES POENITENTIALES,

*seu regulae directivae quarum notitia viris ecclesiasticis valde necessaria est, ad poenitentias delinquentibus imponendas.*

*Primus* est, quod si Presbyter fornicationem fecerit, poenitentiam decem annorum faciat, hoc modo: scilicet, quod sit inclusus, sive á caeteris in aliquo loco remotus: sacco indutus et humi pros-

tratus, misericordiam Dei jugiter implorans: primis tribus mensibus continuis à vespera in vesperam pane et aqua utatur, exceptis Dominicis diebus, et festis praecipuis, in quibus modico vino, pisciculis et leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizetur. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur. Post hoc resumptis viribus aliquantulum, unum annum et dimidium in pane et aqua expleat, exceptis Dominicis et aliis praecipuis festis, in quibus vino, fagine, ovis et caseo poterit uti. Finito sic primo anno et dimidio, particeps sit corporis Domini: et ad pacem veniat, et ad Psalmos cum aliis fratribus canendos in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat, sed minorum ordinum tantum officia quaerat: deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet, secundam, quartam et sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui sunt quinquaginta, in pane et aqua jejunet: secundam tamen feriam uno Psalterio vel denario, si sit operarius, redimere poterit. Et si cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare: ita tamen quod in tribus annis sequentibus, sine ulla redemptione omni sexta feria in pane et aqua jejunet. Et eadem poenitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quae depositionem inducunt. Probantur autem haec omnia 82 distinct. *Presbyter si fornicationem*, quod intelligunt quidam de simplici fornicatione: alii fortè melius secundum Ray. de adulterio vel incestu: puta, quia cognovit conjugatam, consanguineam, vel affinem.

*Secundus* casus est, si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in baptismo, vel in confirmatione tenuit, vel quae sibi confessa fuit, debet poenitentiam agere duodecim annis: et etiam debet deponi, si crimen sit manifestum: et peregrinando quindecim annis poeniteat, et postea monasterium intret tota vita sua moraturus ibidem. Episcopus verò, qui talia commisit, poeniteat quindecim annis. Ipsa verò mulier debet omnia relinquere, et res suas pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in monasterio Dei servire. 50, *quaest. 1, Si quis Sacerdos, et cap. Non debet.*

*Tertius* est, quod quicumque filiam suam spiritualem vel matrem



cognoscit, septem annis poeniteat, et similiter ei consentientes. 50, *quaest. 5, Non oportet.*

*Quartus* est, quod qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de praesenti, ipsa dimissa, quadraginta diebus jejuset in pane et aqua: et sequentibus septem annis poeniteat. *Extra. de spons. duorum accept.*

*Quintus* est, quod qui cognoscit duas commatres vel sorores, sive uxor vivat, sive non, ad minus septem annis poeniteat, licet plus deberet. 50, *quaest. 4, Si Presbyter.*

*Sextus* est, quod qui cognoverit Monialem sive Devotam, decem annis poeniteat: et similiter ipsa secundum formam traditam. 27, *quaest. 4, De filia, et cap. Devotam.* In quorum primo cap. dicitur, quod si filia Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi post votum solemne contraxerit matrimonium, non admittitur ad communionem, nisi marito defuncto poenitentiam egerit, et communionem petierit, tantum in fine vitae recipiet eam. In secundo cap. dicitur, quod devota peccans non est recipienda in Ecclesia, nisi peccare desierit, et desinens egerit poenitentiam decem annis, postea recipiatur ad communionem, et antequam ab Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianae mulieris accedat.

*Septimus* est, de eo, qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem et filiam, vel amitam et neptem, poeniteat septem annis. Si autem scienter, perpetuo privetur conjugio. 54, *quaest. 1, Si quis cum duabus.*

*Octavus* est, quod qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, poeniteat quinque annis. 51, *quaest. 1, Si qua vidua.*

*Nonus* est, quod, qui contra naturam peccavit, si sit Clericus, debet deponi, vel religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam poenitentiam peragendam. Si verò sit Laicus, à coetu fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus. *Extra. de excess. praelat. Clerici.* Hoc enim vitium majus est, quam cognoscere matrem. 52, *quaestione 7, Adulterii,* et haec Augustini: Adulterii, inquit, malum, vincit fornicationem, vincit autem ab incestu fornicatio. Pejus enim est cum matre quam cum aliena uxore concubere: sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam sit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio voluerit uti.

Haec Augustinus. Quocumque autem modo tale factum exerceatur, praeterquam inter virum et foeminam ordinatè, et in vase debito, vitium contra naturam et sodomiticum judicatur, ut dicit Ray.

*Decimus* est, quod qui coierit cum brutis, poeniteat plusquam septem annis: et similiter pro incestu. 52, *quaest. 2, Hoc ipsum, et § sequent.*

*Undecimus* est, quod Presbyter, qui interest clandestinis nuptiis, triennio suspenditur, et si culpa exegerit, gravius puniatur. *Extra. de clandestin. desponsat. cum inhibitio.*

*Duodecimus* est, quod qui votum simplex violaverit, poeniteat tribus annis. 27, *dist. Si vir.*

*Decimus tertius* est, quod qui excommunicatus celebravit, debet triennio poenitere, et per secundam, quartam et sextam feriam à vino et carnibus abstinere. 11, *quaest. 5, De his.* De poena verò degradati celebrantis habetur. *Dist. 50, Accedens.*

*Decimus quartus* est, quod homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, et poeniteat septem annis. 50, *dist. Miror.*

*Decimus quintus* est, quod homicida casualis poeniteat quinque ann. et hoc secundum Ray. si culpa causam praecessit: aliter non, nisi fortè ad cautelam. *Dist. 50, Eos et duobus c. sequentibus.*

*Decimus sextus* est, quod si quis fecerit homicidium propter necessitatem evitabilem, poeniteat duobus annis: *Distinctione 50, cap. De his clericis;* quae licet si inevitabilis esset, in nullo sibi imputaretur. 50, *distinctio, Quia te.* Quod verum est quoad culpam: sed bonum esset, quod poeniteret quoad cautelam, et innocentiam suam Ecclesiae ostendendam. *Extra. de homicid. cap. 2, § ultimo.* Et secundum Ray. fortè distingui potest in homicidio necessario, sicut in casuali, et utrum culpa praecesserit necessitatem, vel non. Arg. *distinctione 50, De his not. extra. de homicid. interfecisti.* Sed et si quis per insaniam committat homicidium, non ei imputatur. 5, *quaest. 4, Judicas;* quin etiam, qui intuitu disciplinae incautè percutiendo occiderit, deponitur. *Extra. de homicid. presbyterum. 15, quaest. 1, Si quis non iratus.* Sed qui ligatum latronem interfecit, deponitur. *Extra. de homicid. suscepimus.* Qui autem latronem occultum occidit, quem vivum comprehendere potuit, quadraginta diebus non intret in Ecclesiam, et aliàs poenitere debet. *Extra. eodem.*



tit. cap. 2, ubi de hoc dicitur. Qui verò Paganum vel Judaeum occidit, poeniteat quadraginta diebus. *Distinctione 50, cap. Qui verò odit.*

*Decimus septimus* est, quod matricida poeniteat decem annis, secundum formam satis apertè traditam. 55, *quaest. 2, Latorem*. Uxoricae verò gravior poenitentia debet imponi. Talis enim et qui dominum occidit, numquam equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit, usque ad decem annos carnes non comedit, nec vinum bibit, et alia quae habentur 55, *q. 2, Admonere, et cap. Quicumque*. Imponitur autem poenitentia major uxoricidae, non quia illud peccatum sit gravius isto, sed quia homines proiores sunt ad occidendum uxores, quam matres. Majus enim peccatum est occidere matrem, quam uxorem occidere, ut dicit Bonaventura in quarto sententiarum, et communiter omnes Doctores. Guillelmus vero Durandus tenet contrarium in Repertorio, pro eo, quod uxoricidae imponitur poenitentia major. Mihi autem magis placet sententia aliorum. Sed qualem poenitentiam agere debent, qui filios occidunt? Resp. Aut est certum, quod ipsi met scienter interfecerunt, et sic debet eis imponi poenitentia major, quam pro alio homicidio. Arg. *extra. eod. c. ult. in text. et gl. et de homic. cum juramento. de poenitentia, distinct. 1, Aut facta*. In hoc tamen casu vir uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, et ipsa poenitentiam agit secundum arbitrium Episcopi: ita quod si habet alios filios, pacificè gubernare possit eos uxor. *Extra. eod. intelleximus*, quòd si virum non habet, induci debet, ut intret religionem: ad quod si non potest induci, tutius est ei dare licentiam nubendi, ut *ext. eod. veniens*. Et hoc quando timetur de incontinentia, aliàs non, ut patet 54, *q. 2, In adolescentia*. Et si pater sit Clericus, ab officio altaris debet perpetuò abstinere, et ei gravior quam Laico, non tamen publica (nisi veniat in publicum) poenitentia debet imponi, ut *extra. de poeniten. quaesitum*. Aut certum est, quod non interfecerunt spontè, nec in culpa fuerunt, sed causa fortuitò contigit: et sic de stricto jure in nullo tenentur. Arg. *extra. de bonic. ex litteris 2, c. Joannes et c. ult.* Nisi velint ad cautelam poenitere. In dubio tamen praesumitur, quod non hoc ex certa scientia, sed potiùs ex incuria provenerit, *extra. de praesumpt. offera*. Aut certum est, quod non exhibuerunt omnem diligentiam,

quam potuerunt et debuerunt: et sic culpa praecessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundum arbitrium poenitentiarum, imponitur poenitentia quinque vel septem annorum, 50, *dist. Si qua foemina, et c. seq. et c. Si quis spontè*, occulta, si sit occultum; publica, si sit publicum: et major, si in lecto suffocetur, quàm si in cunis; et major Presbytero Graeco, quam Laico, ut habetur *extra. de poeniten. quaesitum*. Et licet dispensetur quoad poenitentiam, quae est arbitraria, ut dicitur ibidem: non tamen quoad ordines propter homicidium, quod est crimen enorme et indispensabile. *Dist. 50, Miror*. Si autem culpa, quae praecessit causam, sit levis, ut si posuit puerum in eodem lecto, longè tamen à se; imponitur poenitentia trium annorum. Secundum hoc intellige illud *extra. eod. de infantibus*. Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne qualibet negligentia interveniente opprimantur et suffocentur, ut 2, *q. 5, Consuluisti*. Et hoc modo distinguit Hostiens. et Ber. *extra. de infantibus*. Quid de illis, qui filios vel servos suos infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt, id est, extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordià colligant eos? Resp. Tales graviter peccant: quia cum ignoretur saepè consanguinitas expositorum, contrahere possent matrimonium cum sorore vel consanguinea, idè exponens tenetur de hoc peccato poenitere, et est puniendus sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur. *extra. de poen. officii*, secundum Hostiens. Talis enim secundum Ray. est tamquam homicida judicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, et utrum ob hoc mors secuta fuerit, vel non fuerit, poenitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares, secundum Ray. si mors indè sit secuta: qui scilicet fuerunt in culpa eos exponendo, vel alimenta negando. Tamen secundum Ro. si in multa culpa fuissent, quia fortè nec eleemosynas quaerendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

*Decimus octavus* est, quod qui Presbyterum interfecit, poeniteat duodecim annis, *extra. de poenit. et remis. cap. 2*. De poenitentia verò ejus qui occidit Monacum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum, habetur 17, *q. 4, Qui occiderit*. De poenitentia autem



ejus qui machinatur in mortem domini sui, vel in regimen ejus: habetur, 23, q. ult. § *Si quis*.

*Decimus nonus* est, quod qui injustè alium ad mortem accusat, quadraginta diebus in pane et aqua per septem annos jejundet et poeniteat: et hoc si accusatus sit occisus. Si autem tantum membrum perdidit, triennio poeniteat, *extra. de accus. accusasti*. Hostiens. verò et Joan. de Deo in jejunando intellexerunt, quod primus poeniteat per septem annos, quolibet anno jejunando quadraginta diebus in pane et aqua: secundus verò per tres annos. G. vero Duran. intellexit prout littera magis sonat, scilicet, quod primus jejunabit quadraginta diebus in pane et aqua, sive continuè, sive interpolatè: et per septem annos jejunabit et poeniteat: non tamen in pane et aqua, sed ad arbitrium Presbyteri: secundus verò per tres quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante Sanctum Joannem: has enim instituit B. Petrus, ut habetur in Chronicis. Jejunabit autem tunc in pane et aqua; probantur haec secundum Host. 22, q. 5, c. 1, 2, et 5.

*Vigesimus* est, quod perjurus quadraginta diebus in pane et aqua jejundet, et septem annis sequentibus poeniteat, et semper debet esse in poenitentia, scilicet interiori, 6, q. 1, *Quicumque*.

*Vigesimus primus* est, quod qui compulsus conditionaliter à domino scienter pejerat, si liber sit, quadraginta diebus in pane et aqua; et hoc secundum gloss. intellige vel continuè vel interpolatè, poeniteat septem annis sequentibus, non tamen in pane et aqua, ut dicit gloss. Si verò servus sit ejus, qui eum coegerit, tribus quadragesimis et legitimis feriis, scilicet, 2, 4 et 6. 22, q. 5, *Qui compulsus*.

*Vigesimus secundus* est, quod qui pejerat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata, poeniteat tribus annis. Si verò in cruce non consecrata, uno anno. Qui verò coactus et ignorans ignorantia juris, et postea cognoscit, poeniteat tribus quadragesimis. 22, q. 5, c. 2. Qui verò coactus pro vita redimenda, vel qualibet causa vel necessitate pejerat (qui corpus plus quam animam dilexit) tribus quadragesimis poeniteat. *Ead. q. 5, c. Si quis coactus*. Alii inducunt tres annos: et unum ex his in pane et aqua.

*Vigesimus tertius* est, quod qui falsum scienter jurat, vel alium

jurare cogit; diebus quadraginta poeniteat in pane et aqua; et septem sequentibus annis numquam sit sine poenitentia, scilicet interiori. Alii etiam si conscii fuerint, similiter poeniteant. 22, *quaest. 5, Si quis convictus*.

*Vigesimus quartus* est, quod qui mensurat in falsa mensura, triginta diebus in pane et aqua jejundet. *Extra. de contrah. empt. ut mensurae*. De poena verò falsarum litterarum, habetur, *extra. eod. ad audientiam et c. dura. et c. ad falsariorum. et de verb. siqu. novimus*.

*Vigesimus quintus* est, quod qui frangunt poenitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem vel militiam secularem, quae sibi fuerant interdicta: sola inter Ecclesiam fidelibus oratione junguntur, à communione suspenduntur, à catholicorum convivii separantur, et poenitere debent decem annis, et communicent in fine vitae. 33, q. 2, *De his verò, et poen. dist. 5, Si quis vero*.

*Vigesimus sextus* est, quod qui canit Missam, et non communicat, debet uno anno poenitere, et interim Missas non cantare. *De consecr. dist. 5, Relatum*.

*Vigesimus septimus* est, quod Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla altaris, poeniteat decem annis, et mensibus quinque. Diaconus verò triennio et dimidio. *De consecr. dist. 1, Nemo per ignorantiam*.

*Vigesimus octavus* est, quod qui committit sacrilegium, Ecclesiam violando, vel chrisma, sive calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, poeniteat septem annis. Primo anno extra coemeterium quod violavit, consistat, secundo anno ante fores Ecclesiae, tertio in Ecclesia: et in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali; non offerat, nec communionem accipiat: quarto anno communicabit; et in illo et in 5 et 6 et in 7, tribus feriis à carnibus et vino abstineat jejunando. 12, q. 2, *Daemon*. Comburens autem Ecclesiam, quindecim annis poeniteat: et eam restituat. 17, q. 4, § *Si quis. in vers. majus*. De poena vero raptoris, sive furis rei Ecclesiasticae, et de poena furis et effractoris tam Clerici quam Laici habetur *ead. quaest. § Peccata, et cap. Si quis Clericus*.

*Vigesimus nonus* est, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, à communione triennio separentur: et similiter filii, si sint in culpa:



si tamen filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique: scilicet quoad poenam Ecclesiae, sed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium. *31, q. 3, Si quis parentes. Arg. de poen. dist. 1, Si cui.*

*Trigesimus* est, quod qui blasphemaverit publicè Deum, vel aliquem Sanctorum, et maximè beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc poenitentiam injungere: scilicet ut septem diebus Dominicis prae foribus Ecclesiae in manifesto, dum Missa cantatur, existat, et ultimo illorum dierum Dominicorum pallium et calceamenta deponat, et corrigiam ligatam circa collum habeat, et septem praecedentibus sextis feriis in pane et aqua jejuset, Ecclesiam nullatenus ingressurus: et quolibet praedictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest: et si non potest, haec poena in aliam commutetur; quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi Ecclesia, in morte privetur Ecclesiastica sepulturâ. *Extra. de maledict. statuimus.* Item blasphemus, si dives fuerit, *40, alioquin 50, vel 20,* et si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetae poenâ mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem, scilicet quin solvat quinque solidos: quos si non habet, currat per civitatem, vel commutetur in poenam aliam temporalem. Haec autem poenâ solvetur ei qui condemnat, id est, potestati seculari; hanc enim poenam temporalem praecipit Papa imponi per potestatem temporalem: quod si neglexerit per Episcopum praecipitur cogi. Haec Hort. Habet autem praedicta poena locum secundum Goffr. cum quis blasphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia: quia tunc cum eo mitiùs ageretur. *2, q. 3, Si quis iratus. § Notandum.* Secundum vero Hostiens. haec poena est specialiter inducta contra eos qui Deum blasphemant ex ira. Non enim aliquis de levi blasphemat Deum, nisi iratus. Tanta tamen posset esse iracundia, quod aequipararetur dementiae: et tunc illud quod dicit Goffr. locum posset habere. Haec Hostiens.

Quid si quis juret per caput, vel per ventrem, vel per corpus, vel capillum? Respondet Hostiens. quod si facit hoc affirmando vel jurando, non habet locum haec poena: secus est, si faciat hoc detestando vel vituperando, licet iratus. Item secundum Goffr. et Host. haec, quae dicuntur de poena temporali, fiunt iudice pro tribunali

sedente. In iudicio autem animae Presbyter discretus molliendo rigorem dispensare poterit ex causa circa poenam spiritualem superiorem. *25, q. 6, Poenitentib.* Haec Host. Item blasphemus Clericus, maximè Presbyter, cogatur ad veniam postulandam: quod si noluerit, degradetur. *Dist. 46, Clericus.*

Notandum verò, quod blasphemus secundum leges est decapitandus, ut *in auth. ut non luxu. contra nat. circa medium colla. 6.* Secundum vero canonem antiquum Clericus erat degradandus, et Laicus excommunicandus. *22, q. 1, Si quis per capillum.* Hodie verò Laicus aget poenitentiam supradictam, scilicet illius canonis, *Statuimus,* et hoc si publicè blasphemavit. Si enim occultè, non poenitebit publicè, ut puto. Clericus verò hodie est corrigendus poenâ arbitrariâ et occultâ, non illâ, quae est publica. Clericus enim publicè non debet poenitere. Si autem rebellis fuerit, vel saepiùs hoc commiserit, locum habet poena legis, scilicet ut Laicus decapitetur in foro civili, et in canonico anathematizetur, id est, Ecclesiae ingressus sibi interdicatur, et in morte privetur ecclesiastica sepulturâ. Clericus vero degradetur. Haec Host. *tit. de maledicis.*

*Trigesimus primus* est de Presbytero, qui revelat confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinari. *De poen. dist. 6, Sacerdos.*

*Trigesimus secundus* est, quod qui in dicendis horis canonicis, et aliis officiis divinis discrepat à consuetudine propria metropolitanae Ecclesiae, 6 mensibus privetur communione, si hoc accidat ex contemptu. *17, dist. De his.*

*Trigesimus tertius* est, quod Episcopus, qui ordinat justa causa Clericum invitum, aut reclamantem, vel poenitum invitum, absolutè suspenditur anno uno. *64, dist. cap. 1.*

*Trigesimus quartus* est, quod Episcopus, qui correctionem de venditione mysteriorum dissimulat, duobus mensibus: Presbyter 4. Diaconus 3. Subdiaconi et caeteri ad arbitrium iudicis poenitere debent. *1, q. 1, Quicquid invisibilis.*

*Trigesimus quintus* est, quod sortilegus 40 diebus poeniteat. *Extra. de sortileg. requisisti.*

*Trigesimus sextus* est, quod qui videt in astrolabio, poeniteat duobus annis. *Extra. de sortileg. ex tuarum.*



*Trigesimus septimus* est, de stilla sanguinis altaris cadentis super terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter poenitere 40 diebus. Si cecidit super pallio altaris, poeniteat quatuor diebus. *De consecr. dist. 2, c. Si per negligentiam.*

*Trigesimus octavus* est, quod si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem et voracitatem, si Laicus, poeniteat 40 diebus. Si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, poeniteat 70 diebus. Si Episcopus, poeniteat nonaginta diebus. Et debet evomitura comburi, et juxta altare collocari. Si verò causa infirmitatis evomuerit, septem diebus poeniteat. *De consecr. dist. 2, Si quis propter ebrietatem.*

*Trigesimus nonus* est, quando mus corrodit, vel comedit corpus Christi, de poenitentia hujus casus inquire ubi sit notata. *De consecr. dist. 2, circa fin.*

*Quadragesimus* est, quod qui domum vel aream voluntariè succendit, sublata vel incenso omnia restituat, et tribus annis poeniteat. *Extra. de injur. si quis domum.* Canon tamen dicit quod si ex odio vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, et non absolvi, donec satisfecerit, et juraverit, quod ignem de caeterò non apponet. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam aut in Hispaniam vadat, in Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et ab officio Episcopali per annum abstineat. 23, *quaest. 8, Pessimam.* Hodie autem postquam sunt denunciati, non possunt citrà sedem Apostolicam absolvi. *Extra. de sententi. excommun. tua nos.* Imo text. loquitur de incendiariis indistinctè, postquam sunt publicati. Et Ber. hoc idem dicit expressè, et Gratianus *extra. de sententiis excommunicat. quicumque*, et Goffred. licèt Rom. contrarium dicat. Secundùm autem leges, qui in civitate datà operà incendium fecerit, si sit humilis, subjicitur bestiis, si sit in aliquo gradu, decapitatur, vel in insulam relegatur. *Ff. de incend. ruin. naufrag. l. fin.* Qui verò alibi, ut in villis vel castris remissis, ibidem aedes positas combusserit, si hoc dolò fecerit, comburitur. Et hoc intelligendum, secundùm Hostiens. si sit humilis. Si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciat damnum, vel si minus idoneus sit, parum leviter castigetur, ut ibidem dicitur, *l. Qui aedes.*

*Quadragesimus primus* est, quod qui dederit, vel acceperit com-

munionem ab haeretico, et nescit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, et postea intelligit, poeniteat uno anno. Si autem scivit et neglexit, poeniteat decem annis, vel secundùm quosdam septem, vel secundùm alios quinque. Qui verò permittit haeticum Missam celebrare in Ecclesia catholica per ignorantiam juris, poeniteat quadraginta diebus. Si pro reverentia ejus, per annum poeniteat. Si pro damnatione Ecclesiae catholicae, et pro consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia, sicut haeticus, si sit impenitens: alioquin poeniteat decem annis. Si autem, relicta Ecclesia, ad haeticos transierit, et alios ad hoc induxerit, poeniteat duodecim annis, tribus extra Ecclesiam, septem inter audientes, duobus extra communionem: et sic duodecimo anno communionem sive oblationem percipiat. 24, *q. 1, Si quis dederit.*

*Quadragesimus secundus* est, quod patronus, qui res Ecclesiae dilapidat, uno anno poeniteat. 16, *q. 2, c. Filiis.*

*Quadragesimus tertius* est, quod qui domum suam magicis et incantatoribus lustrat, vel aliud facit, et qui ei hoc consulit, annis quinque poeniteat. 16, *q. 3, Qui divinatores, et cap. Non liceat.*

*Quadragesimus quartus* est, quod qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno uno poeniteat, et ad pacem redeat. 22, *q. 2, Qui sacramentò.*

*Quadragesimus quintus* est, quod pro perjurio, adulterio, homicidio, dantur pro poenitentia regulariter septem anni, et similiter pro fornicatione: licèt non ita aspera poenitentia injungatur. 22, *q. 1, Praedicandum. 53, q. 1, Hoc ipsum. et § sequent.*

*Quadragesimus sextus* est, quod, qui scienter rebaptizatur, septem annis poeniteat, et feria quarta et sexta, in pane et aqua jejunando tres Quadragesimas faciat, et hoc si fecit pro haeresi introducenda. Si autem pro munditia, id est, pro salute corporis obtinenda, ut *extra. de apost. capit. 2*, tribus annis poeniteat. *de consecr. dist. 4, Qui bis*, et talis, qui bis baptizatur vel confirmatur, fit de foro Ecclesiae, et cogitur fieri irregularis. *Dist. 84, Dictum est.* De poena autem talium habetur. *De consecr. dist. 4, Eos.* Cujus capituli sententiam praetermitto gratià brevitatis.

*Quadragesimus septimus* est, quod qui uxorem adulteram cognoscit, antequam poeniteat, tres annos poeniteat. 21, *q. 2, Si quis.* Qui verò cognoscit eam poenitentem ante poenitentiam peractam, poeni-